Philippus Melanthon D. Georgio Spalatino
S. P. D.

S Cum me versus Virgilij de quo interrogasti de oleaud,,
monuisset, venit in mentem dictum psalmi .51.
Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei. Quia vere
significat pios doctores et viventes fore et fecundos. Nam
utrumque mentione oleae complectitur. Olea enim vivit
annos ducentos. Hanc et tibi, et ceteris pijs et
eruditis doctoribus vivacitatem opto, ac Deum oro
ut vires corporis senili tuo confirmet et augeat, ac depellat
morbos. Ego his diebus magno cum dolore [illegible]
sum tres calculos. Mitto tibi enarrationem versus
Vergiliani, in qua mihi voluptati fuit cogitanti
de natura oleae considerare imaginem Ecclesiae.
Vinum significat legis doctrinam, oleum Evangelij suavi,,
tatem. Tanta est autem συμπάθεια et naturalis con,,
cordia inter vitem et oleam, ut viti insita olea gignat
uvas et oleum. Sic insita populo legis Ecclesia,
Legem et Evangelium sonat, et fruitur utraque doctrina
et utriusque fructus gignit. De Turcis scriptum est
ad Senatum Vratislaviensem (Breslaw) visum esse a Persis
Turcicum exercitum et captum Tyrannum Turcicum

C. R. V p. 434.

filium natu maximum, tanquam ob causam vendicatas esse copias ex Mysia, quae verius eo missae erant, ut pergerent ad reliquam Pannoniam occupandam. Interim Hungari ipsi novos tumultus excitant, cum hoc Monacho, qui est regni Oeconomus fecisse, dicitur coronatum natumque filium Ioannis. Bene et feliciter Vale die 6. Iulij 1544. Phil. Melan.

De Vergilij Versu. Aeneid. l. 5

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona

Non dubito intelligi oleaginam, et adolescentes in ludis, quos narrat Suetonius, ab Augusto institutos esse, sedentes in equis, et currentes vel cursu vel alijs modis et fuisse coronatos frondibus oleae. Sed cum tonsam vocet, nos qui oleae culturam ignoramus explicare non possumus, sed tamen dubito an tonsam vocet, propterea quod ab arbore stricta sit, an vero propter coronae aequationem. Sed prius magis placet. Nam oportuit manu stringi, non attingi ferro. Et alio loco ait Vergilius: Ille caput tonsae distinctus olivae. Hic certe malignis intelligi tonsam, pro stricta ab arbore, quasi dicat, cinctus caput folijs strictae olivae. Caesar dixit, stringere frondes,



Equi nostri vescebantur strictis frondibus. Hoc igitur amplectamur. Sed mi carum Atticum puto non nosse oleam, quae tamen Athenis notissimae et uberrimae fuerint, puto eo magis quia olea est imago Ecclesiae. Theophrastus li. 4.

Δοκεῖ δ' ὁ βίος τῆς γενναίας ἐλαίας εἶναι, περὶ ἔτη διακόσια.

Videmus autem vim unius oleae esse annorum 200. Sed vitam scribunt esse perpetuam, et ut ait μακροβιώτατον πάντων nisi a caudice avellantur radiculae immodice. Vinum ergo prodest senibus. Bene vale.

Phil. Melan. ad Spalatinum

Reverendissimo dno Nicolao Amsdorfio
Episcopo Numburgensi et Citizensi
patrono suo Cariss.

S. D. Reverendiss: domine, Voluntas vestra constantia, gravitas et fides mihi nota et probata est. Ideo amicitia vestra mihi gratissima est, atque utinam coniunctio nostra et similium Ecclesiae prodesse possit. Semper